



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XVII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

deserendam nouitiam Satanae synagogam : cum in Ecclesia tam liberaliter, in synagoga tam macrè prandeatur. Agite igitur, dilectissimi, omnes abhinc cogitemus de reditu, peccatores ad poenitentiam, hæretici ad fidem, & Ecclesiae gremium. Deus nobis illam faciat gratiam. Amen.

CONCIO XVII.

- 1. Ἀναστὰς, προσδοσάτω μοι, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων μου, καὶ ἐπάω αὐτῷ. *Græca.*
- 2. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei. *Vulgata.*
- 3. Surgam, proficiſcar ad Patrem meum, & dicam ei. *Syrinca.*

ARGVMENTVM.

- Dicemus hodie.
- 1. Cur Prodigus in summa perplexitate, maluerit ad patrem quam alio reuerti.
 - 2. Præclaram rem esse meditari conuersionem & cur.

A V E.

I.

Cur Prodigus in summa perplexitate, maluerit ad patrem quam alio reuerti.



VI aliquando vidit quomodo syluosi colles, aut magna in alto nauigia furentibus iactentur procellis, pulsentur fluctibus, protra verberetur & puppis, comminuantur gubernacula, lacerentur vela, rumpatur mali, rudentes, funes, quomodo concursantibus vndiq; ventis, huc illuc circumperitur, superata arte Nauarchus & Epibatę desperēt, ut in tempestate Ionæ, quilibet quam diligentissime seum inuocet Sanctum, non sciens in quem tandem se portum recipiat, vbi anchoram figat, vbi littus teneat, aut quia inaccessum est propter distantiam nimiam, aut quia infestum est inimicis, ipso mari

Y 2 barba-

barbatoribus, aut latentibus in securum scopulis, obluantibus etiam ex aduerso ventis: concludendum tutissimum esse redire vnde venerat. Hæc, inquit, qui vidit, dicere posset in quanta fuerit perplexitas Prodigus, quantis conflictatus miseris, aduersitatibus, fame publica, priuata inopia, seruitute abiectione cum exigua pretij spe.

Videt quomodo hinc nec nummum habeat, nec amicum foris, nec in crumena (argentum enim ut aiunt amicissimum) ut reuerri possit ac procedere, comminutum se videns ut gypsum, & contusum (quis dubitet equidem sapius egregie fustigatum, quam laute passum, cum siliquas peteret & nemo ipsi daret) cum se ipsum conspexit arrosus à vermibus, excusum, & altera iam quasi parte putidum, tum ob extremam inopiam, forte etiam vlcere Neapolitano, morientem. Denique, *fame, fame pereo*, inquit, sed honestatis causa. Dicamus famem tam celebrem tam infamem morbum, qui vagos amores ut umbra corpus sequitur, morbus cuius nomen ita putidum est, ut nationes etiam arma sumant, ne à se originis eius epitheton auertant. Vndecunque sit ita constitutus est ut animam agat, *pereo*, inquit. Quo se igitur recipiet, quo lacerum asserem naufragus applicabit: Ad meretriculas, præteritosque amores? Ad hos aut illos amicos? Ad Herum suum, ut de fame ac inedia conqueratur, de malignitate ministrorum qui ipsum adeo negligenter curarent? Ad seniore[m] fratrem? Ad seruos patris sui, an potius recta ad patrem? Vbi putatis figet anchoram? ad meretriculas. Ah neutiquam, inquit, illæ nec mentem habent nec conscientiam, ut quicquam in necessitate boni reddant iis, qui extra necessitatem bona sua apud ipsas perdiderunt. Officinæ ipsarum talibus mercatoribus clausæ obfirmatæque sunt qualis modo ego, vlcerosus, horridus, ut quatruiduanus Lazarus: lacer, nudus, ipsa mors. Quo igitur ad hos aut illos amicos? Ah amicos quos habere potest, qui nullos habet in oculis: qui ad eam in qua sum relapsus est indigentiā. *Qui nihil habet*, inquit Plato, *hinc nullus*

Vide seruitutem peccatorum huius operis.

Plato.

Nullus amicus adest, & mendico, ut vulgare habet proverbium, ne parentes quidem amici sunt. Diuites undique stipantur, illuc omnes tanquam ad hortum floridum apes aduolat, ut formicæ ad plena horrea, ut columbæ ad sata, ut lupi ad ouilia, corui ad suppliciorum loca. Pradam sequitur turba ista non hominem, inquit Seneca,

Seneca lib.
de remed.
fortuit.

Ouid. lib. i. Trist. Eleg.

Donec eris felix multos numerabis amicos:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:

Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Ea de causa Abbas quidam S. Benedicti, vir nostro tempore magnæ dignitatis, magnique spiritus, dicere consuevit se quamdiu fuit officij N. ac simplex religiosus, paucos audisse computantes cognationem, & affinitatem suam, raros cognatos. Postquam vero factus Abbas cœpit posse benefacere, tam donare quam accipere, postquam crucem manu tenebat, iam totum sibi mundum cognatum & affinem fieri. Insinuâs pauperibus & abiectis hominibus paucissimos inueniri amicos.

Mobile sic sequitur fortuna lumina vulgus.

Ouid. lib. i.
Trist. Eleg.
8.

Occurrit mihi ad idem propositum, quod incolomis reuersus Roma, anno 1607. cum falsos quidam sparsissent rumores, talem Archiepiscopum promovendum ad Cardinalatum, talem Episcopum ascensurum ad Archiepiscopatum, me sufficiens in locum Episcopi, (videte quid nascuti homines & speculatiui, quibus nimium otij est, meditentur; quasi ego Romam proficiscens, pro bono tatum & salute, quod ipsi ignorabant, Reipublicæ, captarem ibi aliquid talis priuati commodi, quod sibi falso sangebant: (testis mihi erit Paulus Quintus, qui modo seder, qui itinere mei consiliū totū nouit) occurrerunt plurimi salutati, scelicia mihi precantes. Cumque subridens quæterem de quo gratularentur, dicebant de mea prouisione ad Episcopatum imaginarium, quasi per hæc insinuare se se volentes in meam gratiam, gratulantes

R.P.F. Ioannes Neyer
nouit satis
quis scopus
fuerit &
author itineris
Romani.

etiam sibi quod mihi aut sanguine, aut necessitudine
essent obstricti, qui tam honoratum, tam pingue,
possiderem beneficium: sperantes forsitan piscari sub
favore meo, aut saltem quod bene prouisus, nihil
mihi seruarem ob votum paupertatis in ordine. Sed
cū paulo post fama hæc euauit de Episcopatu meo,
ac omnis iste clamor in fumum ventumque disper-
sus, salutationes etiam glacie frigidiores, calendis ce-
perunt esse rariore, nonnulli etiam mihi obligati
metuere ceperunt uisitationem meam, ne ipsis gran-
dio constarem aut hospitio. Dico & affirmo, diuites
& magni nimis multos habent cognatos, alij nullos:
plerique enim Ægyptum & ollas amant, & amant
penuaria. Prodignus igitur bono iure cognatos & ami-
cos sibi putauit non tentandos. Omnes enim, ut
maior pars, erubescunt cognatum adeo pauperem
ciuem adeo inuisum, & inuestem, forte ne sumptum
illis adferret, fecissent & dixissent quod S. Petrus in
passione de Domino: *nescio quid dicis, & non noui ho-*
minem. Obiecissent saltem fronti ianuam, nisi forte
& punire uoluissent ut plagiarium & alienæ inuaso-
rem familiæ: prudenter igitur ab illis abstinuit. Quo
igitur, ad Herum? Hoc autem multo etiam peius qui
enim de Hero conqueritur, grauius prodit in scitiam:
nemo enim male sua disponere ac administrare dici
uult, & periculosum est litem instituire ubi pars ad-
uersa iudex est. Conqueri de ministris ipsius eodem
prope rediret: uideretur enim Dominus defecisset
bonis constituendis præfectis; & sæpe Dominus die-
culum sub ministrorum nomine multa peragunt, quo-
rum nomen habere nolunt: fuisse in arena sementem
facere, perdere operam, queri de Domino: *semper e-*
nim Prætoris causa præsupponitur melior. Pater meus
(œconomus meus) cecidit uos flagellis, ego autem uos ca-
dam scorpionibus.

3. Reg. 12.

Et quamuis inueniantur qui non imperat quidem
ut officiales ipsorum subditis graues sint; difficillime
tamen admittunt querelas; vel si eas audiant, tam sto-
lide vicariis suis fauent, ut miseros subditos egregie
confun-

confundant, & quantumcunque causa iusta sit, nihil proficiant apud eos, quos ut Cæsarem appellarunt. Inveniuntur etiam (Ah cōclamatam subditorum miseriam!) qui referunt vicariis suis querimonias omnes, quas oppressi subditi deposuerunt, non ut locum habeant purgandi se, ac emendandi; sed ut eos fidos sibi faciant, & ad omnia paratos: ut eos irritent cōtra miseros illos quæstos, qui gravamina sua deposuerūt. Omnes Domini non tam benigni sunt quā Deus, qui istos populi audit clamores contra tyrannos. Non omnes adeo boni sunt ut Iob. qui de se ait: *si contempsi* ^{Iob. 31.} *subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceperent aduersum me.* Non omnes adeo æqui sunt ut Imperator Traianus, qui pauperis viduæ causam cōtra filium suum Cæsarem iuniorem audiuit querimonias, ac in vestigio quod iustum erat adiudicauit. O quam pauci sunt magnates, de quib. dici possit quod Plinius in commendationem Traiani.

Plinius in Panegyri. Traiani.] *Que præcipua tua gloria est, sapius vincitur sisceus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Credibile Prodigium Herum non admodum clementem fuisse, cum iuxta Catholicorum omnium expositionem diabolum repræsenteret. Non ergo illuc, inquit Prodigus, mihi vertenda sunt vela, merito quidem. Sed quo igitur, ad fratrem seniozem? nimis ipsi erat exosus.

Audiatis postea quomodo tectum subire noluerit, & cum patre de reditu gaudere, indignans ipsum honorifice susceptum. Adeo ut miser senex vix ipsum placauit, vix impetrauit ne irasceretur conuiuis. Quod igitur habuisset refugium, quem mediatorem, si illuc venisset? Cum verosimiliter Prodigus frequenter rebellis patri, non rarius etiam offenderit fratrem, ac bilem nouerit cognatis, amicis, qui fere implacabiliores sunt, ac diutius iram seruāt quam externi: quia iniuriæ atrociores sunt, magisq; acerbæ, ab iis illatæ à quibus minime expectamus. Procul, procul inquit ab hoc scopulo: nisi velis hic naufragium facere & fa-

pienter. Quo igitur? ad seruos patris? neutiquam: pri-
stina enim eius superbia & insolentia omnes ei fecer-
at aduersos, cum forte omnibus antea fuisset durus,
vexans, cedens forte ad libitum, prior forte offenderet
& postea ad patrem aut matrem prior eos deserere
fecere faciens seruitutis ipsorum odorem bonum
coram Pharaone suo: grauans forte & corrumpe-
ns ubique eorum seruitia; *Manus eius contra omnes, &
manus omnium contra eum.* Malebant ipsum longe
abesse ab oculis, à visu, sicut longe erat à corde. Ah in-
fœlix puer, plenus miseriis, nulli miserabilis.

Virg. 2. Æn.

Heu qua nunc tellus, inquit, qua me equora possunt

sunt

Accipere? aut quid iam misero mihi denique, rērit

Cui neque apud Danaos usquam locus, inquit

ipsi,

Dardanida infesti pœnas cum sanguine possunt.

Dicere potuit. Sed quo tandem euadet? Ad patris
amplexus? Sed qua fronte, qua audacia, qua specie,
qua via, quo apparatu, quo prætextu ibit ad illum
quem adeo importunus inuitum deseruit, cuius bona
dissipauit, quem dedecore, quem infamia, domi fortis-
que maculauit? Qua fronte enim, quo ore, quibus
vestibus irem, nudus, sceleratus, impudens? Hunc cine
adspiciet pater? hunc cine agnosceret? oculis interficiet?
Si recipiat in domum, non erit nisi ut compedibus
vinctum, in pistrinum dedat, in carcerem; ut ibi pro
meritis castigetur. Et quis nouit an non traditurus sit
ut in corrigibilem ludici, tanquam pestem suarum
diu, turbatorem quietis, facem ardentem Reip. que
non nisi mortis supplicio extingatur. Argumenta
horum non parua, si ad peccata respiciat; que hanc
ipsi vocem extorquere possint, *maior est iniquitas mea,
quam ut veniam merear.*

Genes. 4.

Gul. Gnaphæus in Acolasto Act. 5. Scen. 4.

Dignus sum quem ima

Tellus dehiscat, ob meam

Iniustitiam, que tanta est, ut non audeam

Vnquam mihi sperare veniam à patre.

Virg.

Virg. 10. Æneid.

*Quo feror? unde abij? qua me fuga? quem ve-
ducet?*

Quid tentabo igitur? ferrum, vt Saul? laqueum vt Achitophel, vt Iudas, vt Myrrha concubina patris? an sumam venenum vt Hannibal, bibam taurorum sanguinem vt Themistocles, aut natabo Tiberim vt Tiberius, aut precipitabo de rupe vt Cleobrotus Ambraciota, lecto Platonis Phædone? Quid mihi vltra viuere, cum omnia mihi ablata sint?

Cicero lib. 7. Ep. fam.] *Vetus est, vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere.*

Item.] *Ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est.*

Incert. Auth.] *Præstat non viuere, quam viuere misere. Dulce mori miseris. Si sic, a mundo recedam, omnia mecum sepeliam.*

Sallustius in coniurat. Catilinæ.] *Tum ille (Catilina) furibundus: quoniam quidem circumuentus, inquit, ab amicis princeps agor, incendium meum ruina extinguam.*

Cicero in Catil.] *Honeste viuere cum non posset turpiter perire maluit.*

Nonne fatius est cito mori, quam Deo & hominibus iuuissimum diu viuere: mihi igitur inferam manus, faciam, omnino iam decretum est.

Nolo, volo, seditiosus plane cordis mei Senatus est.

Virg. 10. Æneid.

*Hæc memorans animo nunc huc, nunc fluctuat,
illuc,**An sese mucrone, ob tantum dedecus, amens.**Induat, & crudum per costas exigat enses**Fluctibus an iaciat medietis.*

Iob.] *Cogitationes mea dissipatae sunt & varia.*

Iob.] *Cogitationes mea varia succedunt sibi, & mens mea per diuersa rapitur.*

Cothurnus in altissima Ægypti pyramide, aut in illa Sixti Quinti Romæ, vndique ventis conspirantibus, non ita circumgirat vt misera Prodigii huius mēs

atque anima. Mihi manus inferam? hoc utique totum fuerit perdere, hoc manubrium abiicere post aliam. Desperabo? hoc mala cumulabit, Deum magis offendet, patrem magis contristabit, quam prima peccata omnia: hoc esset ex febre incidere in pestem, & ad breuem effugiendam miseriam accersere æternam, ut castagno euadas in Charybdim irruere & Scyllam.

D. Hieron. lib. 2. Ep. 3. edit. Canif. ad Sabinianum Diaconum.] *Solum desperationis crimen est quod maledi nequeat.* Desperem ac me ipsum hac ratione perdam?

Virg. 2. Æn.

Hoc Itacus velut & magno mercetur Arida

Quancum deberem ludibrium hostibus, visibilibus atque inuisibilibus. Inuisibilibus: quid enim præternimam meam oprat Satan? Visibilibus: nã frater meus hæredem se videbit ex affe, in possessione pacata. Senti etiam patris egregie dicerent se vindicatos: & cur mihi cõsciscam necem, cum mihi adeo bonus pater, permittens me quondam voluntati meæ, hæreditatem ad primam concedens instantiam? neminem habet quam me & fratrem, gaudebit si vtrumq; videat, filius vnicus patris nihil est, lætus moritur si duos relinquat, speras posteritatem: & si ego filialem abiici affectum, ille paternum necdum abiicit animum: quamuis bona perdiderit, nõ perdidit amorem. *Si ego commissi*

D. August. *de me damnare potes; tu non amisisti unde saluare solus.*
in medit. ca. 12.

Illam quam toties ante expertus sum clementia, bene sperare iubet si tentauero: pater ac mater filiorum nõ obliuiscuntur, carnis sanguinisque sui. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum?

Terent. in Andria Act. Scen. 3.] *Pro peccato magno paulum supplicij satis est Patri (inquit Chremes ille Terentianus.)*

Si me tracter ut commerni, fiat in nomine Domini, ille pater meus est, ego filius, totus ipse sum, post Deum in ipsum solum peccaui; quicquid factum, quicquid delictum, iustius ipse de me quicquid videbitur statuet: facilius quidlibet ab ipso quam ab alio perferam. Si carcer, si flagra, si supplicia, si mors omnino toleranda est, à nemine suscipiam æquanimius quam ab eius

h eius manu, qui mihi vitam donauit: *si vitam dederit, vitam abstulerit, hostimentum est, tantum pro tanto.* Duplicabit si conseruet, & dupliciter ipsum appellabo patrem. *Abba Pater.* Iacienda est alea, tentanda fortuna, ea maxime vbi minus speres periculi. Vbi vero discrimen minus mortis & perditionis, inter manus patris tam benigni, an fratris auari, sitientis hereditatem meam, inter vngues seruatorum maleuolorum, cupidorum vindictæ: aut amicorum nobilium, & fortunatorum qui similes arundini, ad omnem nutant horam & ventū Patres semper patres & amici, cognationem semper: forte cedit opinioni melius. Pater forte reditum meum magis quā ipse ego desiderat, & forte videbit me libentior per charitatem, quā ego ipsum per necessitatem. Sæpe sensi facilitatem naturæ eius, & hoc est quod conqueror me nimis habitum indulgenter. Non tam respiciet meritum meum quam officium patris. Illuc igitur vertam proram & in paterno fundo sacram figam anchoram.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales.

Audet in humanos fessa venire sinus.

Nec se vicino dubitat committere recto,

Qua fugit infestos territa cerua canes.

Prodigus igitur hæc diu versans, ac multum secum disputans, concludit tandem. *Surgam & ibo ad patrem meum.* Ad portum illum subducam nauem, istic consistam. *Hæc alternanti potior sententia visa est.*

Notate igitur, dilectissimi, tria potissimum fuisse, quæ ipsum ad patrem raperent, ac compellerent: necessitas siue extrema indigentia, spes veniæ, recordatio paternæ clementiæ. Nunquam de reditu cogitasset, si non ipsum stimulasset necessitas, quasi duris fustium verberibus; non magis quam accipitres reuertuntur ad dominos suos nisi fameant. *Mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt,* inquit S. Gregorius.

Nunquā eam ingressus esset semitā, nisi spes gratiæ eum dulciter illexisset. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, in funiculis hominis, vel humanis,*
vel

vel mera humanitate, qua homines trahuntur.
 Hieremix 31.] *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miserans.*

Spes ista, fuit ipsi quod magnes ferro, succini pilea, bonus odor Panthere quo reliquas trahit bestias Nunquam istam inuenisset viam bonæ spei, nisi habuisset memoriam clementiæ paternæ, quam toties erat expertus. *Fœlix necessitas qua ad meliora compellit.* O gratiosam dominam; ac susceptricem Spem, sine qua nemo attingeret pœnitentiam, etiamsi ipso deterior Iuda.

Rom. 8.] *Spe salui facti sumus.*

Eccl. 2.] *Nullus sperauit in Domino, & confusus est.*
 — *Spes non confundit.*

Theognis.] *Sola spes inter homines bonum est sumere.*

O dulcem memoriam, ac iucundam recordationem clementiæ, toties declaratæ: quid sine duobus his postremis ageremus. Spes omnium malorum remedium est, tam pœnarum quam culparum. Quis medicus morbo manum admoueat si sanitatem desperet. Antiqui medici, & ipsa ars, præcipit iunioribus medicis ante omnia considerare an morbi curabiles sint.

Quid. 1. de Ponto.]

Non est in medico semper releuetur ut eger;

Interdum docta plus valet arte malum.

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Vt nimirum si immedicabile sit malum, illud caueant tangere: sin secus admoueat industriam. Quis etiam æger in Medicos dispendet pecunias, in herbis in potiones, nisi speret valetudinem. Et quis vnquam peccator ad Deum redibit, aut hominem, nisi veniam aliquam præconciperet. Sin desperet, tendet in peius: *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Sicut furiosi & phrenetici nihil erubescunt, audent omnia, ignem inuadunt & aquam, & altissima sine pauore præcipitia: sic qui salutis spem abiecerunt, plane sunt intolerabiles.

D. Chrysoft. Ep. V. 5. ad Theodorum Monachum lapsam.] *Sicut furia correpti, deperdita semel sanitate capitis, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepide quiduis audent;*

udent: in ignem, in mare, in prærupta editaq; saxa impi-
 re conuolant: in hunc modum qui se incuria per despera-
 tionem permisere, deinceps sunt intolerabiles per aua vi-
 tiorum assidue discursitant, neq; mors imminens eos ab
 insania deterreret, ac deprauatione infinitisq; se calamitati-
 bus conficiunt.

D. Bernard. serm. 37. in Cant.] *Omnis peccati consum-
 mationem parit desperatio. Imo vero desperatio ipsos*

*Vide Mag.
 sent. lib. 4.
 dist. 14. §. d.*

noquiffimos facit. Dicunt enim

Vade saltem huius vite suauitate frueri.

Et;] *Venite, fruamur bonis quæ sunt, in iuuentute cele-
 stiter.*

Et;] *Edamus & bibamus, cras enim moriemur morte
 secunda sc.*

Cras enim inter damnatos apud inferos cœnabi-
 mus: vtamur dum licet huius vitæ bonis, & quoniam
 Paradyso excludimur cœlesti, anticipemus quoad li-
 cet terrestrem.

Edamus, bibamus, in hoc mundo, in altero calefa-
 cemus. Hic desperantium sermo, proh dolor! aut nõ
 amplius sustinens remorsum & crucem conscientia, &
 quo perpetuo intus torquetur anima, peccata pecca-
 tis ultra numerum cumulat, & addit illud quod solum
 est inremissibile, necem voluntariam, volens ita inter-
 nos solari cruciatus. Videte cur Deus noster, & beni-
 gnissima mater Ecclesia, nunquam spem veniæ pec-
 catoribus præcludat pœnitentibus; quantumcunque
 multis, grauibus, diuturnis operti sint flagitiis: ne sci-
 licet in desperationem incidant. Damnat etiam No-
 uati hæresin, & sectatorum eius; qui docuit pœniten-
 tiam post baptismum semel tantum prodesse. Contra
 quem S. Cyprianus martyr *velit, nolit Nouatus hæreti-
 cus, omni tempore, Dei gratia recipit pœnitentes. Cum cõ-
 uersus ingemueris, tunc saluaberis.*

*Vide Mag.
 ubi sup.
 D. Cypr. ser.
 de cœna
 Dom. sub fi-
 nem.*

Bene notandum quod Deus nunquam relinquat
 in rebus etiam maxime afflictis hominem sine spe:
 sperat enim semper, etiam nesciens quid speret, rebus
 omnino deploratis. *Contra spem in spem.* Sicut Abra-
 ham immolans filium, sperauit aliquid, nescio quid,
 quæue via.

Virg.

Virg. 2. Æneid.

*Vna salus victis nullam sperare salutem.**Stob. serm.*
109.*Hesiodus in*
operibus de
Pandora l. 1.

Ideo Thales quodā die interrogatus quid maxime
esset commune; respondit sperare: spem enim habent
etiam qui nihil habent. Et veteres fabulantur Deo
mundi sceleribus iratos fugisse à terra, & omnis gene-
ris calamitates ex pixide Pandoræ inter homines dis-
persisse, solam spem tenuisse locum inter homines,
futuram solatio in malis.

Quid lib. 1. de Pont. Eleg. 7.

*Hac Dea cum fugerent sceleratas nuntineterræ,**In Diis inuisa sola remansit humo.**Hac facit ut uiuat fossor quoq; compede vincitur**Liberaq; à ferro crura futura putet.**Hac facit, ut videat cum terras undiq; nullas**Naufragus, in mediis brachia iactet aquis.**Sape aliquem solers medicorum cura relinquit,**Nec spes huic, vena deficiente, cadit.**Carcere dicuntur clausi sperare salutem,**Atq; aliquis pendens in cruce vota facit.**Hac Dea, quam multos laqueo sua colla ligantibus**Non est proposita passa perire nece;**Me quoq; conantem gladio finire * dolorem**Arguit, iniecta continuitq; manu.**Quidq; facis? lachrymis opus est, nō sanguine, dicit*

Spes extremum in aduersis solamen est. Spes ad tri-
remes, ad metalla, ad latonias damnatos sustentat, ad
libertatis iucundam cogitationem proponit.

Spes naufragium inter fluctus ad natandum ani-
mat, etiam si præter pontum & æthera nihil videt.

Spes conclamantium à Medicis, flaccente pulsu, in-
gente sanguine, adhuc inter extrema erigit. *Ægroti dicit*

anima est spes est. Dum spirat sperat, inquit prouocbit.

Spes catenatum captiuum fouet, exilem spes reditus
in patriam solatur, ac damnatum ad crucem vota fa-
cere, ac orate redemptionem suadet. Spes eos qui iam

laqueum gutturi aptauerunt, suis ut super sint eri-
pit manibus. Quid denique sine spe facerent flagitio-

Erasm. lib. 8. *apophth.* si, pauperes, afflicti. Referunt ciuis Rhodius, clausus in
caueam,

caueam, in qua non minus ignominiose quam misere, ut bestia alebatur, præcis naribus, deformata facie; suadentibus amicis ut voluntaria inedia suas finiret miseras, respōdisse: hominem omnia sperare posse, quamdiu tantum viuit.

Qui nihil potest sperare, desperet, nihil, dicit Seneca in Medea.

Menander.] *Mortalis, ad senium usque spera quod libet.*

Opus est prudentis & constantis sperare meliora, nec iniucundum est fingere & imaginari solum mala aliquando transitura in melius. Quamuis Publius dicat: *in malis sperare bonum nisi innocens nemo solet*: hoc enim dicit respectu meritorum & diuinæ iustitiæ; falso præsupponens Deum carere misericordia. Deus bone! quid ageremus sine spe? quis colonus serat agrum desperata messe? *Spes alii agricolas, dicit prouerbium.*

Tibull. lib. 2. Eleg. 6.

Quis piscator inescabit hamum desperata præda? *In verbo tuo (& spe prædæ) laxabo rete, inquit S. Petrus.* Quis miles arma sumet, si nulla spes sit victoriæ ac spoliatorum?

Nihil incipimus nisi cōmodi spe. Nemo studet sine spe profectus. Nemo amat sine spe consecutionis. Quod fortiter speratur iam ex parte obtentum est, & sine spe nihil vnquam arduum tentatur. Nisi desperati in bello aut victoriam aut effugium sperarent, non ita cæcis desperatisque pugnarent ictibus, neglecto quasi corpore ut ita seruent. *Est ubi dat vires nimius Staius.*

Ac ideo admodum misericorditer in rebus maxime etiam deploratis spem Deus suppeditat obscuram, aut in secreta fundatam prouidentia, aut in casu, aut in instabilitate & fluxu rerum humanarum. *Om- nium rerum vicissitudo est. Hodie mihi cras tibi.*

Terent. in Eunuch.

Spes igitur veniæ Prodigum ad Patrem attraxit; Ac notandum bonam istam spem conceptam ex recordatione benignitatis paternæ, quam sapius aut in se, aut in fratrem, aut in seruos delinquētes probauerat: qua concludebat se eam apud patrem inuenturum, si eius

Act. 2. Scena 2.

si eius pedibus se aduolueret. Ibo ad patrem. Pateris, non vitricus, non tyrannus, non Phalaris aliquis.

Ouid. lib. 1.
de Ponto E-
leg. 3.

Non tibi* Therodamas crudusve rogabitur le-
treus.

* al. Thero-
medon, sed
nullus vs
quam The-
romenon
mibi dictus.

Pater meus est, non tortor crudelis, non tyrannus

ad pedes eius accidam.

Venerabilis Beda.] Quam misericordem piumque no-
uerat patrem, qui nec offensus à filio, patris designaretur
audire vocabulum, & ex hoc illi spes reconciliationis ad-
hasit.

Per. Chrysol. ser. 2.] Qua spe? qua fiducia? qua confi-
dentia: illa, qua pater est. Ego perdidit quod erat si uis: illa
quod patris est non amisit.

Ah si uidisset in patre tantam crudelitatem, & aspe-
ritatem, quantam benignitatem & mansuetudinem,
nunquam ad veniam impetrandam sperare aut aspi-
rare potuisset. Strangulandi ac necandi sui cepisset
consilium, aut saltem ad priorem reuersus fuisset post-
liminio militiae ac malitiae ducem, iunxisset se latro-
nibus socius praedonum. Sceleri procliuus egestas.

Si patrem alias expertus fuisset seuerum in inno-
centes, casusue humanos, quid non expectaret post tot
tam atrocia facinora, in Deum, in ipsum perpetrata:
non rediisset magis quam fugitiua mancipia, in con-
spectum crudelis ac inhumani Domini, praelicientes
inter leones ac bestias agere (quod de Androdo legi-
tur) quam ad Herum reuerti: faciunt idem filij nimium
duriter à patre habiti ac castigati.

A. Gellius
lib. 5. noct.
Att. cap. 14.

Atque ideo dico, parentes, bonum est si filios re-
stros castigetis: sed non in virga ferrea, non in scorpini-
bus: sed in virga filiorum, id est, miscentes clementiam
seueritati: castigare quaedam aliquoties, ne nimia in-
dulgentia, patrum segnes faciat natos.

Claudian.
in consul.
Manlij.

Desidis auriga non audit verbera currus.

Non tamen crudeliter, non semper, & in castigan-
do paterni affectus non obliuiscetes. Nec mollities
nimia, nec asperitas decet patrem: sed mixta utrimque
discretio: paternus affectus moderari debet discipli-
nam. Pater patrem se cogitet, & filium esse quem cor-
ripit.

Pro peccato magno paululum supplicij satis est pa-

Terent. in
Andr. Act.
3. Scen. 1.

[Psal.] Velut pater misertus est filiorum, Deus. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros.

Sic Phraotes Indorum Rex, nec leones, nec belluas quidem nimium seuerè baculis cædi voluit: verberibus enim nimium aiebat reddi ignauas, & puidas. Nec nimium etiam mulceri volebat, ac blandiri; quia ita ferociore fierent & feriores. Sed, vt cicurentur & mansuescant, benignitatem quandam mixtam dicebat illis exhibendam, popismata cum minis. Quare non male fecerint parentes, si eandem iniuerint rationem.

Author etiam fuerim Principibus, ac superioribus omnibus, ne nimiam in subditos seueritatem præferant, ne vbi deliquerint emédationis vota abiiciant, non audentes ad amplexus illorum venire, & redire ad debitam obedientiam, desperata scilicet misericordia.

Melius est pro Principe, quam Principem timeri. Ignoscant parua, magna & enormia humana aliqua seueritate puniant, vt non semper pœnæ delictis æquentur, sed satissieri aliquando sibi sinant pœnitentia. Tardi sint ad vindictam, celeres ad premia: dolentes si quando rigor exercendus est. Plura minis & terrore, quam pœnis coërceant: ac si omnino tonandam ac fulminandum est, hoc cum magna commiseratione fiat: exemplo Christi, qui deplorauit Ierosolymam, videns mala quibus aliquando ipsam castigaret: Talem dicebat Augustum in exilio suo Ouidius.

Ouid. lib. 1. de Pont. Eleg. 3.

Sed piger ad pœnas Princeps, ad premia velox.

Quiq; dolet, quoties cogitur esse ferox.

Qui vincit semper, victis vt parcere possit:

Clausit & externa ciuica bella serâ.

Multa metu prohibet: pœnâ qui pauca coercet;

Et iacit inuisâ fulmina rara manu.

Magnus Fabius, agnominatus cunctator, insul-

Plutarch. in
Apophth.
Rom.

Z sum

sum sibi dicebat videri, familiaritate & pascu equos
carnesque venaticos magis, quam catenis, flagris, fu-
stibus assuescere: & in domando homine beneficen-
tiam & suauitatem non adhibere; ac seueriorem esse
in homines, quam hortu ani sint in pomaria, in o-
ueta, quæ ipsi non radicitus excidunt, sed suauiter
tantum putant, & inferunt.

Seneca in Agamemnone.] *Extrema primo nemo ten-
tauit loco.*

Ouid. i. Meta.

*Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.*

Claudian.

Ignoscere pulchrum.

Iam misero poenæq; genus, vidisse precantem.

Notam habere Principis immisericordiam, libe-
tum animam ad extrema per desperationem toleran-
da: atque hæc etiam desperatio victis nonnunquam
victoriam peperit. Magnus quidem Poeta, magnum
belli ducem sic introducit milites compellantem.

Virg. 2. Æn.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Quia sæpe pauor erumpit in audaciam, & despe-
ratio in fortitudinem: vis & necessitas quilibet effi-
ciunt.

Prou.] *Si stringis, erumpit.*

Prou.] *Necessitas inuenit artes.*

2. Reg. 2.

Magister militiæ Abner, Ioab magistrum militiæ
partis oppositæ tali voce victorem compressit. *Nam
vsq; ad internecionem, tuus mucro desauiet? An ignem,
quod periculosa sit desperatio? vsquequo non dicis populo
omittat persequi fratres suos?*

Plutar. tom.
1. vit. in The-
mist.

Idem consilium Aristides iustus, & Themistocles
approbarunt, post victoriam naualem, Salaminæ cõ-
tra Xerxes: pontem scilicet, quem Xerxes in Helle-
sponte fecerat, diffringere noluerunt ne fugam ipsi
intercluderent, & Asiam quasi in Europa captiuaret.
Non, inquit, ebat Aristides, cauendum hoc omnino,
iam enim Regem cecidimus, fractum delictis, sed si
eum in Græcia nostra tanquam in cauea concluda-
mus,

us, & hominem tanto exercitu cinctum ad exitum adigamus, non futurus belli spectator otiosus, sedens sub papilione deaurato, sed audebit quidlibet ut priorem negligentiam compenset, & in posterum melius sibi caueat. Quare pons ille non tantum intercidendus est, sed si fieri posset, iungendus etiam secundus, ut Barbaro facilis sit de nostra Europa exitus. *Gravissimi sunt morsus irritata necessitatis*, dicit Porcius latro. Nostro tempore Dux Albanus, antiquus & versatus miles, simile ferre quid respondit, suadentibus ut rebellium caput concluderet, cum sequeretur fugientem cum grandi exercitu: dicens aureum etiam pontem sternendum fugientibus, ne ad desperata praelia cogentur descendere.

Por. latro
declamat. in
Catilinam.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Annosa illa vulpes, non parum leo erat, sed nonnunquam & leonina & vulpina consuenda est ut nullo fallor Lysander dicere consuevit.

Claudianus inter potissimas Stiliconis laudes refert, quod nihil timuerit magis quam timeri.

Claudian. Paneg. 1. in laudes Stiliconis. *Res miranda, Ne timeare, times, quem vindicta manebat, Desperare vetas. Quantum fiducia nobis Profuit hostilis.*

Nec publicæ nec privatæ personæ, nec bestię, nec tota natura mirabilius quid unquam facit, quàm cum urgetur nimium. Angli à Gallis aliquando arctati quibus aureis calcaribus nomen acceperat ad Agincourt, cum parati essent æquis conditionibus se dedere, & Galli nimis iniquas præscripsissent, omnibus alterum eruere volentes oculum, ita subactos iam hostes desperarunt, ut resumptis viribus, & armis, victores suos omnes in fugam verterent.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Quis crederet Lysimachum ausurum consertis cum leone certare manibus? fecit tamen sed constrictus necessitate. Cum enim Alexander Magnus, etsi iniuria, ipsum iratus obiciendum leoni iudicasset, atque ille toto impetu in ipsam irrueret, Lysimachus

obuolvens modico manum fœno, in fauces hiantis iniecit leonis, atque ita perstricta lingua, in arena extendit mortuum: quæ res ipsum Alexandro multo locit gratiorem.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Cattus dum liber est, cattus est: sed si clauso cubiculo verberare tentes, Getulicæ leonibus inuenies violentiorem, furore ac robore incredibili.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Adieu de l'Amé.

Ludouicus Richeomus aureus ille calamus, refert in suo *Vale anima*. Nobilis cuiusdam annosam ac bellicam equam, cum in circo sibi videret cum leone certadum, vnico ictu leonem strauisse in terram, qui multo ibi tempore iacuit semimortuus. Necessitas fuit quæ equæ vires addidit. Refert idem venatorum ab vrsu inuasum, qui iam manu eius rictu tenebat, desperatione compulsus, insiliisse in vrsi tergum volut in equum, ac ita multo tempore equitasse, nihil mali passum: sed cum tandem vrsus attonitus, cum sessore nouo rueret in præcipitium, & se volens perdere & equitem, defiliit bellus ille eques, & vrsus gauisus, se illa exoneratum sarcina, manum quam morderat dimisit.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Senec. lib. 2. quæst. natural.] *Nullus periculus est nobis, quam quem audacem angustia faciunt.*

Maiora, aut certe paria conatur animus magnus, ad perditus. Syluius lib. 1.

Fractis rebus violentior ultima virtus.

Pet. Boyss. in disc. de hominis excellentia pag. 110. Alexander Magnus in extremo vitæ periculo, desertus à suis in prælio contra Indos, adeo choleram accendit: vt toto corpore sanguinem sudaret, & barbaris totus ardere videretur: vnde ipsi plane contrecti, coacti sunt ipsum relinquere.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Dominus noster Christus Iesus, vnico solum responso, *ego sum*, tantum incussit militibus terrorem, vt quasi cæsi conciderent, necessitas inuenit artes, periculum submersionis natare docet ignorantem periculum.

culum necis claudos & paralyticos compellit è le-
to fugere. *Tunc saliet sicut ceruus claudus.* Periculum *Isaia.*
mortis homini animum addit, viresque recolligit:

tum infirmor et impotens sum. Et Dominus noster nun-
quam fortiori clamavit voce, quam in ipso mortis
articulo. Quid? quando palma se magis erigit nisi
cum maxime premitur? quando ignis maxime calo-
rem suum viresque ostendit? nisi media hyeme, & fri-
goris vt Græci appellant antiperistasi: tum demum o-
stendit quid possit, vt hosti suo resistat. Sic omnibus
rebus additur animus & robur, cum necessitate qua-
dam & violentia opprimuntur. Quare non expedit
filios aut populos nimium premere, præstat eos be-
nevolentia ac suavitate deuincire, ducere potius quã
trahere. *Obsequium amicos parit.*

Quid.] *Dextera præcipue capit indulgentia mentes.*

Idem.] *Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus*

Obsequium Tigresq; domat, tumidesq; leones.

Quam multos Iulij Cæsaris clementia Romanos
ad obedientiam reduxit quia ipsam vincens victoriã,
victis clemẽter dabat vitam; imo & honores iis quos
iura belli viuere non sinerent.

Cicero Orat. pro M. Marcel. *Ipsam victoriam vicis-
se videris, cum ea ipsa qua illa erat adeptã, victis remisisti.*
Nam cum ipseus victoria conditione inter omnes victi oc-
cidissemus, clementia tua iudicio conseruati sumus.

Idem Orat. pro Q. Ligario. *Quis non eam victoriam
(Cæsaris) probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?*
Quam multos reduxit clementia Augusti, successoris
vius, de quo scribit Ouidius lib. 1. de Pont. Eleg. 3.]

Qui vincit semper, victis vt parcere possit.

Idem lib. 2. Trist.]

*Tu veniam * Partio superato saepe dedisti,*

Non concessurus quam tibi victor erat.

Diuitiis etiam multos & honoribus auctos

Vidi, qui tulerant in caput armatum.

Quaq; dies bellum, belli tibi sustulit iram,

Partq; simul templis utraq; dona tulit.

Vtq; tuus gaudet miles, qui vicarit hostem,

Z 3

Hic,

Terent. in

And.

Ouid. lib. 2.

de arte.

* al. parti su-
perata.

Hic, cur se victum gaudeat, hostis habet.

*Sueton. in
Augusto.*

Dicitur princeps iste Augustus primus, Cæsare-
cundus, tantam in Cinna ostendisse clementiam, ut
cum iam deprehensus esset ex chartis machinari ne-
cem Imperatori, dixerit tamen: seruo tibi o Cinna
iterum vitam; primum quidem ut inimico (fuerat e-
nim in militia hostis) iam vero ut sicario & parici-
dæ. Quos rebelles non reduxit Sextus Nero beni-
gnitate, quæ tanta fuit, ut cum mortis sententia
subscribenda esset, diceret. O utinam essem pla-
ne scriptiois ignarus. Quæ corda etsi adamantina
non emollisset & traxisset magnus Alexander:
cuius tanta fuit clementia ut hostis eius Darius
Persarum Rex nihil Deos oraret, nisi ut clemen-
tia Alexandrum vinceret: ac si omnino eo natus esse-
fato, soli Alexandro regno cederet.

*Seneca lib.
2. de Clemē-
tia.*

Alphonfus Caietam nunquam potuit subiugare
armorum vi, nec exercitu quem habebat quadra-
ginta millium; sed solum evidenti clementiæ de-
monstratione. Cum enim Caietani obsidione ac fa-
me pressi, mulieres, pueros, senes, gentemque imbel-
lem, armis inutilem, comearui noxiam, in combus
ciecissent, ille eos recepit; & cum quidam ipsi diceret,
si reitulos illos non suscepisses, post paucos dies
proculdubio ipsi etiam se dedissent Caietani: respon-
dit homo clementissimus, pluris se facere turbam
illam innocentem, & indefensam, quam centum
Caietas.

*Panorm. lib.
1. de rebus
gestis Alphō-
si.*

Clemētia illa ita Caietanorum vulneravit corda,
ut expugnaret mœnia, quæ quadraginta hominum
millia, longa obsidione occupare non poterant.
Nam multo post amota castra, iugum legesque reci-
perent, sine vi, sine armis, ad ipsius arbitrium.

Clementia sperata, nonne Gabaonitas ad præ-
standam Iosue induxit obedientiam.

3. Reg. 20. Antiqua Regum Israel clementia, nonne
stratum in campo Bennadad regem Syria, ad pedes
Regis Israelis attraxit, petitum vitam, redditis citi-
tatibus quas pater ipsius vsurperat ac societate inita.

...ce audiuimus, quod Reges domus Israel clementes sint: membris itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in carceribus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan saluabit animas nostras.

Sic dictum, sic factum: euenit quod sperauerant. Tales Reges facile rebellibus arma de manibus excutunt.

Præcedens Henricus Quartus, magnus Gallie Rex: quid? verum equidem est, dilectissimi, Gallus natus non sum, sed ex liberis, primi que sum Burgundionibus, quos hodie videas. Regem Gallie Henricum Quartum, de quo loquor, nunquam nisi pictum vidi. Cur autem laudare non possem Regis amici virtutem, confederatum cum nostro, Christianum ut nos, maxime post mortem? Quippe cum propter virtutem & probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus; cum ea vis est, ut eam quod maius est, in hostem etiam diligamus: *Cicero in Calio.*

Ipse hosti Teucros insigni laude ferebat.

Virgil.

Magnus igitur ille Henricus, quomodo creditis quod solidissimas Ligie colunas in partem suam trãtulert: quomodo potuit tam subito disceptam ac dispersam regni nobilitatem sibi adiungere? Quomodo amissas ac alienatas reducere ciuitates? Cur suis tam amatus, exteris tam terribilis præfuit? adulari nescio, nescio mentiri: Gallus, Burgundio, pari loco mihi omnes.

Tros Tyriusq; mihi nullo discrimine agetur.

Virg. I. Æn.

Omnino mihi persuadeo per clementiam, quæ vehementer in illo excelluit. Hæricus magnus (scribit doctus quidam regni istius Episcopus) a subditis suis offensus ita est, ut omnia auerent iniuriam. Disceptatum fuit cum ipso de Corona, de hæreditate, & antequam Henrici tertij decessu ianua ipsi ad regnum aperiretur, media quærebantur quibus excluderetur, ac spoliaretur honoribus. Quid nõ scriptum est, ut ad grauandas culumnias, ut in odium induceretur, ut populus extrema pati potius, quam imperium eius acceptare suaderetur? Quid non disputatum, quid

non declamarum, ex cathedris, ex pupultis, in minoribus etiam scholis, contra personam, vitam, mores, familiam ipsius? Et, quod miror magis, contra factum etiam & heroicum maxime opus, quod iniqua facere potuit, reditum dico foelicem, & cōuersionem ad Ecclesiam. Subditi erant Principi suo reboles, qui iactabant, qui scribebant ista: quamuis alius vitam deberent ob arma & prodiones. Omnia sperauit Henricus ille magnus ac gloriosus, nigras illas maledictorum tenebras, & maleuolorum contra se confilia dissipabat, occupans regnum, cuius reuera neminem præter Deum & gladium suum agnoscebat. Sedit in throno quem fabricauit a mis, & magna victoriarum sequela firmavit. Tota ipsum Gallia cum terrore conspexit, memor delictorum suorum videns in illo auctoritatem tam absolutam. Quis tamen ob recordationem præteritorum vel guttam vidit cadere sanguinis? Quis vidit bonorum proseriptiones etiam seditiosorum vel maxime? Vidimusne exilia publica, aut clancularias vindictas in caput vilius? nihil minus. Sed contra clementia tanta fuit in eos qui magis resisterant, vt victorum cōditio appareret esse melior quam vincientium. Alios ad officia summa regni applicabat, alios in priuatam recipiebat amicitiam, reuocans quos iustus timor alienauerat. Protector factus libertatis ipsorum. Tanta fuit denique eius benignitas, vt desiderandum pene fuerit illi, qui in Gallia magnus esse vellet, fuisse aliquando illi inimicum. Et benignitas ista tam ipsi fuit naturalis & copiosa, vt reliquas actiones omnes obscuraret. sermo ipsi de impendenda misericordia, quam erat ipse à Deo consecutus: iudicia ipsius, vt parcerent, quantum possibile esset sanguini: flectens iustitiam in clementiam. Virtus ista suauem fecit accessum, familiarum colloquio, accusatoribus abstractum, facilem ad petitiones, subuenientem innocentibus, ignoscentem lapsis, ac plane Regium. Et sicut Cygnus cibum non sumit, nisi quem aqua temperarit, sic nigras & diuina illa anima, nullas accepit impressio-

es, quas non prius in aquam, aut melius in bonitatis
lac demersisset.

Ludouicus Richeomus, in consolatione sua ad *Pag. 185.*
Reginam matrem, dicit Christum Iesum eam indi-
dille Principi isti clementiam, tam copiosam, vt for-
ma factus sit benignitatis; ac inde facit primum veri-
simile saluationis eius argumentum. Dicitum sit olim
assentatorie Timotheo Cononis filio, fortunam, ca-
ptas iam ciuitates, ipsi obrulisse. Dicam ego vere non
fortunam Henrico magno vrbes attulisse captas, nec
quod plus est dissidētium corda populorum, sed post
Deum clementiam solam, qua verba & facta eius om-
nia suauissime condiebantur. *Miserationes eius super
omnia opera eius.* Vt contra scimus (inquit supra me-
moratus Episcopus) eos qui cæde & sanguine parti-
cularium sua recuperarunt, turpasse triumphum, re-
suscitasse bella desperatione populorum, qui perfe-
cte nunquam victi domitique sunt, quamdiu in vi-
ctorem armatum odia fouent. Hinc ortæ seditiones
intestinæ, externæ, vicissitudines Regnorum: clemē-
tia vero cordium domina, securum Imperatorio ca-
piti imponit diadema, & sicut oleum affusum miti-
gat dolores ac lenit, sic suavis illa virtus, & vere Re-
gia, iactata & concitata populorum corda, fortunæ
motibus, ad serenitatem & tranquillitatem imperij
reducit. De quo putatis loqui bonum illum Episco-
pum? num forte de rebus nostris. *De te fabula narratur
opinor.* Ac, vt dicam quod res est, qui semper hisce tu-
multibus nostris iactitant: *nullum cum victis certamen,
& athere cassis,* neminem mordent mortui, qui pen-
dentem ex latere ostendentes gladium dicunt, *hic fa-
ciat;* qui, quando ciuitatum offeruntur clauēs æquis
tantum rogatis dedendi conditionibus, monstrato
gladio dicunt, *ecce clauem:* qui deditas ciuitates exci-
dunt, promiscue sæuientes in fontem & in fontem
(*nonne semibarbaros & Turcas illos diceres baptizatos*)
apud quos perinde ad necem asperelocutum esse &
male egisse, hostem esse & amicum: ex quorum ore
tam boni quam mali nihil audiunt nisi, O prodito-
res!

*Lysander
Argius gla-
dium osten-
dens, Hunc,
inquit, quæ
tenet optimè
de finibus
differet.
Plutarch. in
Pyrrho.*

res! apud quos qui arma manu tenebant, non magis victi quam ipsi victores, postquam red erunt in gratiam, vix paulo mitius habiti sunt quam vrbes ferro captæ, sociis velut hostibus vsi. Deus bone quantum redditum errantium retardarunt? Phaetontes isti bonorum equorum stimulatōres, in nostrum orbem ac celum ignem flammæque dederunt: compulerunt populos ad obstinationem, & mortem: deliberātes forte facere, quod Numidæ in ciuitate Thala, a Merello obsessi, citius quam dedere se victoribus. *A spiritandium sauaq; bella mouet.* Egerunt miseri homines quod quilibet damnandum se putans: tueri scilicet vitam presentem modis omnibus; quibus post mortem nihil sit sperandum præter infernum, quo semper tempore satis veniant. Sic & populus qui in immisericores hostes incidit, nō est quod maturet deditiōem, cum nullam speret gratiam: sed omnem mouebit lapidem, ex capillis etiā vxorum nervos aptabit arcibus, vt olim Carthaginenses; filiorum carnes comedent, vt o' in Ierosolymitanis; imo & vxorum, vt Calathianis, quæ ciuitas erat Hispaniæ à partibus Sertorij; imo & caesa conciuium cadauera, vt Saguntini, & Athenienses, durante obsidione Syllana; aut fortibus alter alterum obruncabit, vt milites Cambysis; aut se suaque omnia in mortem & flammā dabunt, vt olim Thala ciuitas Numidiæ. Sagunthum ciuitas Hispaniæ, potius quam viui in hostium manus deneant, ferociōres leonibus & Tigride raptis catulis.

Si miseri isti homines hostium scorum intellexissent tubas, aut optionem sibi dari: *dedit aut suspendit* nō dubito quin aut omnes, aut potior pars vitæ ac libertatem deditiōe redemissent; dixissentq; cum nostro Prodigio, *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei Pater peccauit, &c.* Omnes venissent ad Dominum sui mandata, sicut ipse *surgens venit ad patrem.* Venissent curmatim vt hirundines quæ rentes æstatem, fatigatur iam Dominus amplexibus, & osculis; nomenclatores & Notarij scriptiōibus. Populi fratres ipsorum præ gaudio nō tenerent lachrymas, tam ipsis iucundum

Salust. in Iugurino.

Quid. lib. 2. de arte.

D. August. lib. 3. ciuit. Dei. cap. 21.

Liuius belli Punic. lib. 1.

randum foret spectaculum reconciliatio omnium cum Domino suo: voce cōmuni paruuli cecinissent Hofanna maiores clamassent ad Dominum suum. *Isaia 60.*

Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi filij tui de longe venient, & filia tua, de latere surgent: tunc videbis, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te.

Iam diuerforia, hospitia, sponte redeuntes non cepissent populos: ita recurrissent omnes ad Principem. Sed nihil audientes, nihil videntes, nisi Pendre & Rendre, vel, Rendre & Pendre: facile dixerunt quorsum dabimus nos ad dispendium; repugnantes enim & unanimiter resistentes, superabimus forte & suspendemus hostem. Necdum mortuus est qui pugnat.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Virg. 2. Æn.

Sed gratis tradentes nos in manus gratiam nullam facientium, iam certo penitentes peribimus. Quid mortem certam pro incerta querimus, in deditioe certa mors, indecorum supplicium; in rebellionē vita sita est, forte & victoria: ac si omnino moriendum est, honestius saltem in lecto, & in armis.

Nam & illos quantum importunitatis habent, parum Salust. in est impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripiat. Iugurtino. & vobis aeterna sollicitudo remanebit, cum intelligetis voces sunt aut seruiendum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordia qua spes est? C. Memmij Tr. Pl. minari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere.

Claudia.

Sic forte se mutuo animarunt. Quorsum veniam in laqueum prætentum, incurra in gladium strictum, in manus eorum *Qui studeant feritate timeri lib. 1. de honest. discipl.*

Adductoq; hominum cumulent araria censu? c. 1. de Chri-

Cur tradam me Tamerlani in nigro sedenti tentorio, apud quem iam nulla spes misericordiæ, nullum dedito effugium? manus tentans, tam perdere possum alterum, quam perire. *Anima mea in rerum Tur-*

Etus

Etus ille est desperationis, quo me hostium inclemē-
tia, & flagra compulerunt: si cado ac morior, vindi-
cabo me prius, nec peribo nisi cruentatus: constabit
ipsis morte meum periculum.

Virg. 2. Æn.

*Nunquam omnes hodie moriemur inulti,
Victores victiq; cadunt.*

Si morior repugnans, iucundius morior ac glorio-
sius, defendens mœnia, defendens aggerem, obrans
aditum corpore, pro patre, matre, vxore, liberis, aris,
focus: quam moriens cum gemitu, fren dens dentibus
in Phalaridis inclusus tauro, vbi præfens inimicus
dolores lachrymasque meas ridebit; nisi forte mories
adhuc ignauus audiam, quod vt mortem effugerem,
quam equidem effugere non potuerim, me tradide-
rim.

Sallust. in Iugurthino.] *Vivere contentus videri, si
desessus malis iniuria concessissem.*

Seneca in Troiade.

*Felix quisquis
Bello moriens omnia secum,
Consumpta videt.*

Hæc verba esse possunt plebis desperantis aduer-
sariorum inclementia.

Non, non, dilectissimi, non sic tractandi sunt filij,
non populi. Hominum Reges sicuti apum, carere de-
bent aculeo; aut si eum habent, non nisi grauissimis
de causis, ac raro vti; maxime in communitates.

Cicero lib. Officiorum.] *Recte præcipere videntur, qui
monent quanto superiores simus, tanto nos summissius
ramus.*

Idem orat. pro Quintio.] *Qui plus propter virtutem
mobilitatemq; possunt, eo minus quantum possunt debent
ostendere.*

Homo generosum animal est, duci vult, suaderi;
non trahi, non compelli.

Vbi veniam sperat, vbi clementiam expertus est,
facile illuc reduci se finit.

Qui canes dominos suos repetent, à quibus nihil
præter fustes expectent?

Quæ

DE POENITENTIA PRODIGI. 365

Quæ fœmina maritum, à quo sibi videt acui cul-
trum? quis ceruus pressus à canibus, aut quis mono-
ceros ad sinum confugiet puellæ, si mortem ibi putet
inuenire quam fugit? Ouid. lib. de Pont. 2.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales

Audet in humanos fessa venire sinuos.

Benignitas & gratia, qua semper magnus ille Ale-
xander, non Macedo sed Italicus, laudatissimæ me-
morix Dux Parmensis, in administratione inferiorū
partium vsus est, nonne plures subegit rebelles, quam
omnis armorum triumphantium strepitus? clamant
hoc & testantur ipsi inimici.

Quoniam superuenit mansuetudo & corripimur.

Claudian. in cons. Manlij.

—peragit tranquilla potestas,

*Et quod violenta nequit: mandat aq, fortius urges
Imperiosa quies.*

Matt. 5.] *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

Et vnde maximi peccatores, quorum scelera iam
montes superant, in extremo vitæ termino Deum re-
spicere, & ad eum per pœnitentiam reuerti audent?
Nonne ob memoriam gratiæ peccatoribus toties,
tam multis, tam magnis exhibitæ?

Quod non puniuerit Adamum, de facto, vt fuerat
comminatus; vitam donans ad pœnitentiam: quod
promiserit redemptorem, & vindicem fraudis serpen-
tinæ: quod ipsi quasi sartor post peccatum vestem fe-
cerit: Quod mille post ipsum peccatores recepti sint
ad gratiam: indulgentia tam plena, tam festinata, quā
Dauid vno verbo, peccavi, obtinuit, quot peccatores
ad pœnitentiam & spem adduxit?

Quod fœminam in adulterio deprehensam serua- *Ioan. 8.*
uerit, quæ iam Iudæorum quasi saxis lapidanda pete-
batur, quam multos animauit ad pœnitentiam, quam
multos adduxit ad Christum? An non forte & Mag- *Luca 7.*
dalena post vitam tam profligatam, hac ratione ad
pedes Domini accurrit? Quod tam facile Magdale-
nam susceperit, & causam litemque eius, contra ho-
spitem suum Simonem, cōtra Iudam architriclinum
suum.

suum, contra Martham hospitam suam, boli credi fuerunt, & ille tamenta, quibus Mattheus à telonio, Zachæus Princeps publicanorum, publicani omnes, & peccatores ad faciendam inuitati sunt penitentiam: in quorum gratiam hæc, & aliæ duæ parabole cōtra Scribas & Pharisæos, à Christo proposiæ sunt. Ita indulgentem fuisse latroni, vt iusta peccati supplicia ipsi verterentur in martyria, vt putat S. Hieronymus, ita suscepisse in extremo constitutum spūm, quomodo inuitauit, quomodo traxit, quomodo compulit peccatores spe similis misericordie?

D. Hieron. lib. 1. Ep. edit. Canif. Ep. 26.] *Christum Paradisum de cruce latronem intulit. Et ne quis aliquando seram conuersionem putaret fecit homicidij poenam, mart.*

* forte mel. seram conuersionem putaret fecit homicidij poenam, mart.

Clementia eius sæpe per ipsum publice proclamata: vt ibi, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. & Non est voluntas ante Patrem vestrum, quis in calis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

Facit vt pauci desperarent, nulli desperare possent. Vnde & miror Iudam post tanta benignitatis indicia, vnquam desperasse. Fuit denique paternæ clementiæ memoria, quæ oportune Prodigio ingessit, *surgam & ibo ad patrem meum.* Hoc solum meminerat discite parentes similem dare subditis & filiis illecebram, si eorum desideretis reditum post lapsum, ad declamationem. Alioquin affirmare ausim obstinatos inuenietis in malitia, & pro eo quod dicerent, *Surgam & ibo ad patrem:* dicent potius *surgam & fugiam tyrannum*, vel etiam *surgam & opponam me tyranno.* *Omnis peccati consummationem parit desperatio,* dicit S. Bernardus.

*Lene fluit Nilus sed cunctis omnibus extat,
Vtilior, nullas confessus murmure vires.*

I I.

Praclaram rem esse meditari conuersionem, & cur discerit: surgam & ibo ad patrem meum, &c.

VIDITIS

VIDE TE hic sententiam nostri Prodigi. O quam præclarum est, serio semel apud se conuersionē statuere! O conclusionem insignē, ac tanto pulchriorem, quāto eam pauciores determinare possunt; paucique qui ita apud se concludunt, quod concluderunt faciunt: plerique sero admodum, plerique deserti citius à peccatis, quam ea deserentes, saepe *atate, & satietate; atate, atate, & satietate etiā egestate.* Quamuis *Relinquerem* autem sententia hæc *surgam & ibo ad patrem, & peccatis* agendæ propositum non sufficient ad salutem, laudabile tamen est, & vel sic statuisse aliquid apud Deum meretur.

Ouid. 3. de Ponto.

Vt desint vires tamen est laudanda voluntas:

Hac ego contentos auguror esse Deos.

Propert. lib. 2. Eleg. 10.

In magnis & voluisse sat est.

Non dico propositum poenitendi satis esse ad iustificationem, & salutem; sed affirmare ausim, poenitendi ac cōfirandi suo tempore propositum, multum peccata, cum fiūt, imminuere, quia cum minori obstinatione fiunt. Pro me doctissimus facit Nauarrus.

Quid? nonne heroicum facinus est tātam animo proponere metamorphosin, ex raptore fieri datorem, ex auaro liberalem, ex Thaide Lucretiam: *hæc mutatio dextera excelsi (qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Psal. 113.

Psal. 147.] *Emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aqua.*

Proponere à corde obstinato educere lachrymas, ac cogitare quæ maxime oderis amare omnia, quæ maxime ames odisse. In quem vsum philtrea veteres putabant necessaria, artesque magicas, & veneficia, vt sc. res amatae inducerentur in odium, exosa in amorem. Meditari resuscitationem à morte, prouocare Pharaonem cum tota Ægypto, Diabolū cum Angelis eius, propter iam ruptam animo societatem, & meditatam ad cōtrarias partes transfugium, (vndiq; enim inimicorum spiritualium turba circumcingimur.)

Callia-

Cassianus collat. 2. c. 11.] *Nec vnus est hostis, sed innumera-
merabiles catervæ aduersus singulos, &c.*

Virg. 6. Æneid.

Quisq; suos patimur manes.

Psal. 21.

Exod.

Circumdederunt me sicut apes

Nec numero nec viribus equis.

Genes.

Cum enim populus Israel de sacrificiis vero Deo offerendis musitare incipit, statim militem contra illos Pharaon armat. Cum Iacob redire in terram suam cogitat, Laban tergo eius imminet: cum Christus in deserto extra mundum quadragesimam suam fideliter

Matth. 4.

sine ieiunat, tentator iam hoc iam illo modo eum sollicitat. Quando populi seditionem machinari incipiunt, grauantur milite quasi tibi hyematurus, aut seruaturus præfidiū, extenuantur exactioibus, iuxta

Virg. 6. Æn.

Lucan. lib.

2. phars.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Stipantur vndique omnigenis præfidiariis,

Certatur totis concussi viribus orbis.

Qui correctionem meditatur, omnes artes, omnes vires sentit Diaboli, aduocantis etiam in auxilium socios: *Adducet septem spiritus alios nequiores se: tota erabit opum vi*, nimis putans indecorum vincere posse, ac nescire vti victoria, occupare posse, seruare non posse; deuorare posse, continere non posse, sed cogi ad vomitum.

Sallust. in Iugurth. vox est Memnij Trib. Pl. *Maius dedecus est parta amittere, quam omnino non parauisse.*

Quid. de Arte.

Nec minor est virtus, quam querere parta tueri:

Casus inest illic, hic erit artis opus.

Ergo, turpius eripitur, quam non apprehensus hostis.

Heroicum igitur facinus est, hæc omnia animo præconcipere, & quasi vnicum prohibere ne integer exercitus, quo ferebatur appellat. Quanta autem est fiducia, meditari deditioem sine pactis, siue conditionibus, in manus eius quem scias te semper offendisse. Fuit reuera magna Crocæ fiducia, Archipira-
ta ia

in Hispania, qui cum intellexisset 25. scutorum milia ei promissa; qui caput eius adferret, ipse caput eum, sed cum ceruice attulit: sperans hanc lucratiuam; sperans insuper ab Imperatoris clementia hoc tam pulchro stratagemate, propter pretium, inuenire gratiam, & seruare vitam, quod ira accidit. O magnam huius confidentiam, alterius clementiam!

Maior etiam fuit illa Themistoclis, qui a suis per ingratitude[m] Athenis pulsus, sine pacto ullo, non tantum veniam, & refugium, sed & honestam a Xerxe Regem ausus est sperare sustentationem, cuius antea hostem strauerat. Ita nihilominus exceptus est, ut sius aliquando dixerit *perieramus nisi perissemus*. Ac vobis expedit in hoc incidisse infortunium.

Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.

Hi conceptus reuera magnae fiduciae argumenta sunt; fiduciam tamen peccatoris, dicentis sine preiis pactis inter se & Deum, *surgam & ibo ad patrem*, multo mihi videtur gloriosior & mirabilior. Hoc sine videtur incredibile? Ecce ostendam: primum partes multum sunt differentes. Illi enim tradunt se hominibus Reges enim non desinunt esse homines, *memento hominem Philippe*. Peccatores autem se tradunt Deo.

Homo peccans in hominem, peccat finite: peccans in Deum infinite. Homines quantumcunque magni, in aliquo subditis suis minores sunt: Deus omnibus hominibus infinite maior. Homines quantumcunque magni, indigere possunt aliquando opera ipsorum, quos sibi vident prostratos, atque ideo cogunt bene sperare miseros, ac supplices; Deus autem bonorum nostrorum non eget, non potest non esse beatissimus. Homines in corpora tantum & bona nostra possunt aliquid, nihil in animam, idque solum dum vita superest. Deus autem in bona, corpora, animas, in hac & in futura vita potestatem habet. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10

Insuper: quo quis inimicum suum potentia & magnitudine magis excellit, regnum suum securius possidet, minus alienis indigens auxiliis, imperij latioris ac amplioris, enormiter offensus, & minus ad veniam est obligatus, tanto est formidabilior qui offendit, & venit sine conuentione supplicat in gratiam. Homo itaque statuens facere pœnitentiam tradere se Deo post infinitas offensas, post tam enormia & continua peccata, dici debet audere plus, quam homo tradens se homini, sibi simili; cuius regnum minus tutum, si tantum alij pro ipso agere cessent, aut contra ipsum agere incipiant; atque ideo saepe cogitat dimittere offensam, dare veniam; partim Deo dato, partim naturæ cōmunis recordatione, partim fortunæ instabilis memoria, quæ facile sceptrum & capita eripit, quæ concessit. *Homo qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui, ait Sapiens.*

Publ.

Quamuis autem peccator multum sperare possit, & fidere de Dei bonitate, sine præiis cōventionibus, se recipiendum in gratiam, in vim scilicet peccatorum priorum, & conuentionum generalium; sicut reuertitur illud spem nostram plurimum erigit (neque enim celsitudo ipsius ac summa maiestas, nec nostra exiguitas nec peccatorum magnitudo, nec longa eorum continuatio, quicquam vere pœnitentibus apud Deum nocent, qui magis offenditur desperatione veniæ, ac tali blasphemia. *Maior est iniquitas mea (quam ut veniæ merear, quæ ut ipsis peccatis) tantæ nihilominus difficultates ex aduerso incurrunt, tum ex pœnitentia, tum ex antiquis quæ omitti oportet peccatis, tum ex nouis quæ quærendæ sunt, virtutibus: ut facile credam animæ actum fortem esse, & heroicum, statuere apud se pœnitentiam, & dicere surgam & ibo ad patrem. Deus bonæ quæ ex parte pœnitentis difficultates: Primo communis inclinatio ad malum quam ad bonum pronior. Non quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago Rom. 7.*

Vide legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. ibidem.

Vide

Video meliora, probosq; deteriora sequor.

Secundo habitus & consuetudo mala, quæ iam naturam induit difficillime superatur.

Pub. Mim. *Grauiſſimum eſt imperium conſuetudinis.*

Naturam expellas furcâ tamen uſq; recurrit.

Dein magna fatigatio ex longinquitate itineris, ex malæ vitæ labore, ex ebrietatibus, ſcortationibus, ac vitis quæ omnes vires exhauriunt. (*Qui fornicatur in corpus ſuum peccat: Ambulabimus vias difficiles: laſſati ſumus in via iniquitatis.*)

Euirant mentem, virumq; effœminant luxus omnes. Vnde difficulter pœnitens arduum & aſperum virtutis collem aſcendit.

Insuper verecundia in confeſſione, difficultas in ſatiſfactione, reſtitutione, & inſuper reſiſtentia quam faciunt Antagoniſtæ infernales.

Riſus denique, & obloquia mûdanorum, qui ſcrupuloſitatem, qui ſuperſtitionem, tam repentinas in bonum commutationes, & voluptatû abdicationes, inſeſtanter appellant; ac animum ita reſolutum, non raro impediunt. Certe S. Cyprianus, S. Auguſtinus, hæc ſibi plurimum obſuiſſe dicunt.

D. Cyprianus 2. lib. Ep. 2. ad Donatum. *Ego cum in tenebris atq; in nocte caca iacerẽ, &c. vita mea neſcius, uentis ac lucis alienus, difficile proſus ac durû pro illis hinc moribus opinabar quod in ſalutẽ mihi diuina pollicebatur indulgentia, ut quis renaſci denuo poſſet, utq; in nouã vitã lauacro aquæ ſalutaris animatus quod prius fuerat expoſneret, corporis licet compage, hominem ac mentem mutaret. Quin, impoſſibilis aiebam, iſta conuerſio eſt ut repente ac perniciousè exuatur, quod vel genuinum, ſitu materia naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio uetustatis indoleuit. Alta hæc & profunda penitus radice ſederunt. Quando paſſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit: & qui pretioſã veſte conſpicuus in auro atq; in purpurã fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultû quando deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus eſſe priuatus & inglorius nõ pot eſt. Hic ſtipatus clientû cuneis, & fr. quæſitione comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnã putat eſſe cõ-*

solus est, Ergo. Hac egomet sepe mecum &c. Desperatione, meliorum, malis meis velut iam propriis ac vernaculis afflueram.

Lucunda illa præteriti temporis & voluptatum recordatio, O Deus, quomodo hominem in plura voluptatum derinet? quomodo affigit lecto: Bland illa oris, ventris, & quæ sub ventrem sunt peccata, recogitata tantum, quam naui remoram, quas anchoras & catenas, profecturienti homini iniiciunt. Tot viarum impedimenta, tot labyrinthorum anfractus clausum tenent, inextricatum, perplexum. Deuoratus hamus, obiecti obices, ferrata claustra, hominem vt Prometheus seopulo adligant.

Peccata carnis mira adhesionis sunt, inquit Theologi, accidentia quasi ineparabilia, ac facilius prope Cigno candorem, Æthiopi nigrorem, Pardo maculas, Herculi clauam extorqueas, quam peccatori pertinaciam. Omnia peccata, maxime gulæ & carnis, cum voluptate iuncta sunt. *Libidines, libidines sunt.* Quis autem nescit naturale nobis esse voluptatis studium, tam corpori quam animæ?

Trahit sua quemq; voluptas.

Scen. I.

Terent. in And. Act. I] *Ingenium est omnium hominum à labore procline ad libidinem.*

Atque ideo difficulter mores illos mutamus, qui voluptate & iucunditate comitati sunt.

Quantum autem ad nouellas virtutes, plus etiam inuenitur difficultatis difficilis ascensus, virtus in arduo, vitia in procliui sunt, habet prouerbium. Sicut igitur saxum ingens, vnico digito facile deorsum magno impetu detrudes, sursum autem vix multis machinis, ac sisiphio labore promoueas, & in iugo ac fastigio colloces: sic minima tentatio, minima recordatio facile hominem in antiquam peccatorum vallem deiicit, sed vt reducatur in altum, vt virtutes attingat, rependum, sudandum est.

Virg. 6. Æneid.

*Facilis, facilisq; descensus Auerni.
Sed reuocare gradum, supera q; euadere ad auras.*

Hoc opus, hic labor est.

Seneca in Hercule furente. Act. 2.] *Non est ad astra
mollis è terris via.*

Ecce cur veteres descensum ad Orcum dixerint fa- *Diog. Laert.*
cilem, quia clausis oculis illuc homines prouunt, *lib. 4. cap. 7*
saltant, currunt, nec de via rogant, iam stant ad ianuã
& mirantur se venisse. *Ducit in bonis dies suos & in pun-*
cto ad inferna descendunt. Virtutes, etsi amatores suos
recreant, atque ad æterna tandem gaudia deducant
sine molestia tamen & angore non exercentur: quia
corruptæ nostræ naturæ eas sentimus contrarias.

Gravia certamina sunt quæ suscipit, quæ sensuali-
tati suæ bellum indicit: qui subtrahit quæ illa appe-
tit, appetit quæ illa horret, & vt res sacerrimas auer-
satur. Egregium igitur ac Heroicum opus est; dicere,
volo me conuertere ad Dominum, id est, tantis me
exponere difficultatibus, omnia deuorare. *Surgam &*
ibo ad Patrem meum, & dicam ei, pater peccavi, &c.

Præcessit Prodigus, tentemus sequi. Bonum
initium est dicere solum, volo in
posterum bene vi-
uere.